



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

III. Remissio pœnæ canonicæ ad arbitrium Episcopi, erga Clericos vel laïcos, qui aliquando ob pœnæ duritiem ad paganos deficiebant. Differentia in eo capite Episcoporum & judicum, è Photio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15591

adversus Novatum, & de aconomia seu dispensatione, libri quinque. Asperitas Novatiani haeretici lapsis sub Decio poenitentiae beneficium denegabat. Ecclesia verò catholica poenitentibus, & diurno jejuniis & orationum labore purgatis, veniam pollicebatur, & de praescripta severitate aliquando remittebat. Haec est dispensatio de qua Eulogius Alexandrinus adversus Novatianum disseruit. Etsi enim de hac aconomia nihil extet in Excerptis Photij praeter solum lemma Eulogij, conjunctio disputationis de Novato & de aconomia satis indicat agi in hoc tractatu Eulogij de poenitentiae beneficio, ad quod lapsi admittebantur. Hanc Innocentius I. in simili specie misericordiam vocat, cum de iis agit qui post baptismum omni tempore incontinentiae voluptatibus dediti, in extremo sine vitae suae poenitentiam simul & reconciliationem communionis exposcunt. De his enim inquit Innocentius: *Observatio prior durior, posterior interveniente misericordia inclinatio est. Nam consuetudo prior tenuit ut concederetur eis poenitentia, sed communio negaretur. Pace autem Ecclesiae reddita, tribuitur cum poenitentia extrema communio, ne Novatiani haeretici negantis veniam, asperitatem & duritiam Ecclesia imitari videretur*, ut loquitur Innocentius.

III. Ceterum hanc singulis Episcopis facultatem Nicæna Synodus indulgit, ut etsi quatuor poenitentiae laboriosissimi gradus per aliquot annos subeundi essent iis qui criminibus à canone veritis se obstrinxissent, liberum esset Episcopis poenitentiarum illarum partem remittere iis poenitentibus qui rebus ipsis conversionem suam probavissent. Quod à Synodo dicitur, *humanius aliquid cogitare, id est ἐπιεικῶς τὸ ὑπερόκειον φιλαυθροῦς πρὸς τὸ ἐν αὐτῷ βυβλίσασθαι*. Synodus Ancyrana Diaconis lapsis, tempore Licinij, ministerij functionem adimit, sed minuendae poenitentiae potestatem Episcopis tribuit, & eadem humanitate laicos prosequi. *Penes Episcopos erit potestas, modum conversionis eorum probantes, vel humanius erga eos agere, vel amplius tempus adjicere. Ante omnia verò procedens eorum vita & posterior inquiratur, & ita eis impertiatur humanitas.*

Basilii hanc Episcoporum indulgentiam, *συνθεσίαν* vocat, & *φιλαυθροῦσαν*, qua etiam voce utitur Gregorius Nyssenus. Sanè haec venia necessaria visa est antiquis patribus, ne tristitia poenitentiae diuturnioris in desperationem adduceret poenitentes; ut monet Basiliius. Ita enim duris poenitentiae laboribus premebantur, ut ad Sarracenos aliquando deficerent, sicut docuit Zonaras; vel

etiam ad paganos in Occidente, ut Rodolphus Bituricensis Archiepiscopus monuit Nicolaum, qui secundum Canones modum poenitentiae minuendae illi committit. Porro omittenda non est Photij elegans observatio, nempe in eo capite potiore esse Episcoporum potestatem, praeter iudicibus publicis. His enim liberum est, cum iudicium reddunt, perspicere ne quid aut durius aut remissius constituent quam causa deposcit, & severitatem legum cum aliquo temperamento benignitatis subsequi. Sed mutare sententiam non possunt; etiamsi de rei innocentia post iudicium latum constet, quod duntaxat à Principibus fieri potest. Episcopi verò poenas minuere vel intendere possunt. Imò verò, si res ita ferat, à poena decernenda in reos abstinerere debent; scilicet si sceleratus habet sociam multitudinem, adeo ut schismatis metus immineat. Haec est Augustini sententia: *Cum quisque fratrum & Christianorum intus in Ecclesiae societate constitutorum in aliquo tali peccato fuerit deprehensus, ut anathemate dignus habeatur, fiat hoc, ubi periculum schismatis nullum est, quam sententiam fusè persequitur. Qua de re uberius in exercitatione nostra de iudiciis canonicis in laicos.*

IV. Non solum autem in eo genere poenarum, quae criminibus irrogabantur, venia usus apud veteres invaluerat, sed etiam, ut dixi, in ceteris poenis quae regradatione & dejectione constabant adversus Episcopos & ceteros Clericos per vitium ordinatos aut haeretica communione infectos, in quo status ecclesiasticus laedebatur; atque ideo non ab Episcopis singulis, sed à synodis provinciarum, & saepissime à Summo Pontifice venia illa concedebatur. Hujus veniae exemplum à synodis indulta extat apud Athanasium: qui quidem interrogatus à Rufiniano Episcopo de Clericis quos tempore Constantij Imperatoris Arriana communione constabat esse pollutos, respondet variis synodis habitis in Graecia, in Gallia, Hispania, & ceteris provinciis huic malo consultum; eo temperamento adhibito, ut auctoribus impietatis venia daretur, si poeniterent, à clero tamen exciderent; iis autem qui per vim ad eam communionem adacti essent, venia plena daretur, ita ut locum suum in clero retinerent: *ἔδοξε δίδοσθαι ἰδίῳ συζητήσαν, ἔχον ὃ ἐπὶ τὸν τόπον τῆς κλήρου*. Praesertim quòd eo consilio se id fecisse dicerent, ne fortè postquam repulsi essent, eorum Ecclesiae Arrianis traderentur; exemplum secuti Aaronis, qui praevagationi populi Israëliti in deserto consensit, ne populus Aegyptum repeteret. Haec autem

Nicolas ep. ad Rodolphum in Appendice Bincentii Patris edidit. & Tom. I. Concil. Gall.

L. Poenitentiam ff. de poenit.

L. Dicit fratrum ff. eod.

Photius T. IX. Nomencl. c. XXV. tit. I. c. 1. p. 117. ἰσχυρῶς ἔχει τὸν νόμον.

August. l. 1. contra Parmen.

Athanasium in ep. ad Rufin.

Vide Cyrillani ep. 14. Poenitentiam in libro de poenitentia lib. 1. c. 1.

Joan. in Doct. c. 11.

Syn. Nic. c. 11.

Syn. Ancyran. c. 1. Anagn. in Can. c. 1. c. 1. c. 1. c. 1. c. 1.

Basilii c. 1. c. 1. c. 1. c. 1. c. 1.

Greg. Nyss. in ep. ad Leonem.